
AD CARDINALITIAM.

QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS DISPVTATIONIBVS AGITANDA in Scholis Medicorum die Iouis IX. Februarij M. Dionysio Guerin Doctore Medico moderatore.

An mulieribus ab vtero aut in vtero morbi?



TERVS alterum procreationis instrumentum quo fœmina à mare secernitur: duplici tunicâ, internâ, externâ, illâ carnosâ & venosâ triplici fibrarum genere intertextâ, hac communi à peritonæo ortâ constans, cùm vicinis, tùm remotis partibus (tanta est eius cum vniuerso corpore societas) arctissimo vinculo copulatur, venarum, arteriarum, neruorum, ligamentorum interuentu: inter vesicam, & rectum intestinum decliuiore loco situs, vt sentina, aut vt pyxis Pandoræ omne calamitatum genus continens, earum partium excrementa suscipit, causarumque tam euidentium quàm interiorum impulsu, varijs conflictatur infortuniis: causaria inde & querula mulier. Intemperie diuturnâ vitiosos humores congerit, dum vbertim affluens alimentum in se non conuertit, sed peruertit, magnoq; excrementorum per vias solitas non effluentium, imò per anadromen ad alias corporis partes refluentium prouentu, pigrescente eius facultate, opprimitur.



TERINORVM autem morborum primas tenet inflammatio systrophica, quæ dolore acri, pulsatorio, ardore, distensione, grauitate, febre assidua, vrinæ stillicidio facile detegitur: quam excipit abscessus, abscessum vlcus putre, malignum, depascens, cancrosum arte maius: scirrhus succedit non raro inflammationis consectarius, à crasso humore sensim crescente, ac concrescente genitus, & si remedia eludit, hydropem & ipsius infœlicis vteri, & totius corporis accersens. Accedit & mola, moles carnea, informis, legitimi cōceptus æmula quæ tantùm adfert secum perniciei, quantùm incrementi capessit. Quid? tantæne animis cœlestibus iræ? verrucæ, hæmorroides, rhagades, condylomata, & alij intestini hostes occupant ceruicem vteri, adeoq; viam intercipiunt, vt illuuies quæ eò appulit retenta insignem acquirat putredinem.



EMEN muliebre sanguisq; menstruus si suo tempore & ex naturæ præscripto excernantur, multis beant commodis mulierem, cui γυναικωθῆναι optimū, nec sinunt varicosam fieri, nec podagricam. Vbi retinentur, aut corrumpuntur (præsertim semen si putruit, veneni naturam æmulatur) nonnullas acerbi capitis dolores, alias longa ab aphthis profluuia alui, dysenteria, hæmorrhagia, alias pleuritis, cui sanguinis detractio κατ' ἴξιν opitulatur, quasi agmine facto inuadunt, plerasq; opprimunt. Sed inter tot clades nulla rapidior strangulatu, in quo vterum moueri asserimus, cuius varijs, pro variâ materiæ morbificæ & vaporis naturâ, accessionum formis non est Proteus mutabilior: hoc correptæ, quà virgines viro maturæ, salaces συζυγία, & venæ sectione sanandæ, quà viduæ, quà aliæ, (illud mirum) Corybantum in morem bacchantur, in terram vt Epilepticæ procidunt, plerumque sine motu, sine sensu vllo iacent; aliàs ceu numine afflatæ absurda loquuntur, ἐνεργουμένους & possessas à dæmone mentiuntur (quibus annuli, amuleta, verba nihilum proficiunt) interdum rident effusè & lachrimantur, & vitam exosæ despondent animum: Dicam verbo, omnia adusti sanguinis & atræ bilis argumenta produnt. Porrò ipsorum mensium in supernas partes refluxus alias concitat turbas, febres omnis generis, diuersos in singulis partibus tumores, icterum tàm flauum, quàm nigrum (Chalybi in puluisculum redacto non cedentem) dementiam, veternum, spirandi difficultatem, cardiogmon, lumborum tensiones, cruciatus, mille alia monstra in mulierum perniciem producta, quibus tantò grauius vexantur steriles, quàm fœcundæ, quantò illæ, sunt his, ad istam suppressionem propensiores.



ONTRA verò mensium, lochiorū, seminis immoderata profusio, à quacumq; causâ ortum duxerit plethorâ, cacochymiâ, laborioso partu, alijs id genus multa adhuc in vtero, & ab vtero parit incommoda, deijcitur appetentia, pallescit facies, corpus male habitum redditur suo genio defraudatum, sequitur pedum totiusq; corporis tumor oedematosus, cui hydrops superuenit, ab hepatis atoniâ inexpugnabilis; sed &, si per vterum sanguis non prodeat syncerus, sed nullo ordine, continenter, corruptum quiddam serosum, citrinum, albicans, subuiride, acre, vrens, vlcerans, alicuius grauis odoris, aut nullius, fluor muliebris seu rheumatismus vteri nascitur, qui non adultas tantùm & natu grandiores, sed etiam virgines exercet, & multò crudelius, si temere initiò cohiberetur, à quo non longe distat tàm simplex, quàm virulenta gonorrhæa quæ mulieres perinde ac viros, imò etiam frequentius exercet.



EC minora actionis læsæ vteri vitia apparent in sterilitate, abortu, pariendi difficultate, quorum prior non solùm vteri, mensium, seminis insignem intemperiem, obstructionem, aut malam conformationem, sed & partium principum latens vitium arguit: abortus autem (quos procurare impium) quoties nuptas angunt, redduntq; sollicitas? est, cum primis diebus ante τόκων abortiunt, & ἐκρύσεις dicuntur; est, cum ab ineunte nutricatu post τόκων & appellantur ἐκτρωσμοὶ quibus impediendis ludunt operam quum collo iaspidem appendunt, vel lapidem ætitem brachio alligant. Quoties ipsa grauiditas grauissima fuit, & mille attulit matri tædia? vacuæ, grauidæ nouercam se præbet natura. Menstruo enim sanguine diutius hærente, nec in fœtus pabulum abeunte, omnes pene morbi quibus cum vtero non gestabant, maxime erant oportunæ, recrudescunt. Pica, cui purgatio conuenit, animi defectiones, oculorum caligines, vertigines, nausea, vomitus, epilepsia (quæ sæpe à vapore) papulæ ex toto corpore erumpentes, cordis palpitatio, omnium artuum lassitudines, lumborum, femorumq; grauitates, in quartum, quintumve, sæpius nonum mensem fatigant, quorum omnium solus partus medicus est: adde quod pariendi difficultas cumulum adfert ærumnarum, toto aquoso humore, au copioso sanguine ante partum effluente, arctiore vteri ceruice, vel tumore contra naturam meatum occludente, fœtu imbecilliore, crassiore, transuerso, auerso, aut in nates prodeunte periclitatur grauida, cui auxiliari quamprimum debet chirurgus; Proinde non veremur asserere, omnium morborum qui muliebres vocantur vteros in causa esse.

Ergo mulieribus ab vtero aut in vtero morbi.

Asserebat Lutetiæ GASPAR BRAIER Castrithierricus Anno R. S. H. M. DC. XVII.